



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 181. Vtrum plures sacerdotes possint vnam, & eamdem hostiam
consecrare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

3. Queritur secundo, quare solus Episcopus potest consecrare alias materias, nimirum chryisma, oleum sanctum, & oleum benedictum, ac non solus Episcopus potest consecrare eucharistiam, cuius consecratio est multo maioris dignitatis.

Respondet S. Thomas in resp. ad 4. sacerdotem in sua consecratione accipere potestatem in corpus reale Christi, episcopum in sua consecratione accipere potestatem novam in corpus mysticum Christi, quam non accipit simplex sacerdos; ergo non est mirum, quod ea, quæ spectant, & ordinantur ad dispositionem corporis mystici, sint reservata episcopo, qui proinde debet non solum populo, sed etiam sacerdotibus tradere ea, quibus uti debent in suis officijs; & quia benedictio chrysmatis, olei sancti, olei infirmorum, & aliorum, quæ consecrantur, puta altarium, ecclesiarum, vestium, & vasorum, præstant quamdam idoneitatem ad sacramenta perficienda, ideo tales benedictiones sunt episcopo reservatæ.

4. Circa conclusionem huius articuli debet adverti, quod teste Vualdensi tom. 2. de sacram. cap. 28. Vuiclefus primus omnium dubitavit, utrum etiam laicus posset in aliquo casu validè consecrare. Post Vuiclefum Lutherus lib. de captivitate Babylonica cap. de ordine, & alibi docuit, quemlibet christianum baptizatum absque alia ordinatione habere potestatem consecrandi eucharistiam, licet extra casum necessitatis nemo debeat hoc officium assumere, nisi legitimè ad illud destinatus. Idem docuerunt plures alij.

5. Contra hunc errorem de fide est, solum sacerdotem legitimè ordinatum posse validè consecrare. Probatur primò: nam solum sacerdotibus dedit hanc potestatem Christus Lucæ 22. dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo. Secundo probatur hæc veritas: nam supponitur in Concilio Nicæno, can. 1. cap. 14. & definita est in Lateranensi, ut refertur cap. *firmiter*, & in Florentino in decreto pro Armenis, ac demum in Tridentino sess. 23. cap. 1. & 4. Tertio probatur ex Patribus, qui videri possunt apud Vasquez disp. 218. cap. 1.

QVAESTIO CLXXXI.

Utrum plures sacerdotes possint unam, & eandem hostiam consecrare?

S. Thom. quest. 82. art. 2.

1. Respondet, quod quia Apostoli Christo cœnanti concœnauerunt, ideo in quibusdam ecclesijs est consuetudo ut cum sacerdos ordinatur, consecret simul cum episcopo consecrante. Nec sequitur, quod hostia iam consecrata iterum consecratur, quia ut dicit Innocentius tertius lib. 4. de sa-

cro altaris mysterio cap. 25. *Omnium intentio fieri debet ad idem instans consecrationis.*

2. Contra rationem S. Thomæ opponi potest ex Durando in 4. dist. 13. qu. 3. Apostoli licet simul cum Christo concœnauerint, non simul cum Christo consecrarunt, sed solus Christus consecrauit; ergo &c.

Huic obiectioni succumbit Galetanus. Sed dici potest, quod quia Christus ad representandam unitatem mysticam ecclesiæ voluit simul cum Apostolis concœnare, & eucharistiam sumere, ac deinde præcipiens Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit ipsis, ut non solum eucharistiam sumerent, sed etiam consecrarent, congruè ecclesiæ ad representandam unitatem mysticam, præcepit, ut aliquando plures non solum simul eucharistiam sumant, sed etiam simul consecrent.

3. Aduertit Vasquez S. Thomam supponere, quod sicut iuxta dicta qu. 67. art. 6. plures simul possunt eundem validè baptizare, sic plures possunt simul eandem hostiam validè consecrare. Solum igitur querit, an sicut non licet modus ille, quo plures eundem baptizant, sic non liceat modus, quo plures eandem hostiam consecrent, & afferit disparitatem.

4. Debet rursus adverti, quod non solum in multis alijs ecclesijs, sed etiam in ecclesiâ Romana est consuetudo, ut sacerdotes recens ordinati simul cum episcopo consecrent, ideoque iubentur in Pontificali simul verba proferre. Episcopus etiam, dum ordinatur, consecrat simul cum episcopo ordinante, & ut refert Innocentius tertius lib. 4. de missis cap. 25. & Gabriel lect. 6. in canonibus cum summus Pontifex publicè celebraret, cum eo simul consecrabant presbyteri Cardinales. In ecclesiâ etiam Græca est consuetudo vniuersalis, ut episcopus nunquam celebret sine sacerdote, & Diacono, qui sacerdos consecrat simul cum episcopo. Sententia igitur Durandi, qui in 4. dist. 13. qu. 3. num. 10. hanc consuetudinem reprobavit, recitatur communiter ut temeraria. Videri potest Vasquez disp. 218. cap. 2. num. 17.

5. Difficultas est in hac consuetudine defendenda. Nam illicitum est, ut plures, & ipse episcopus exponant se periculo profertur verba consecrationis frustra, & sine effectu; sed iuxta hanc consuetudinem se huic periculo exponunt; nam cum moraliter impossibile sit, ut simul formam absoluant, omnes illi, qui formam absolunt, postquam alius absoluit, frustra proferunt formam, & non consecrant; & ipse episcopus, si aliquis prius formam absoluat, frustra profert, & non consecrat; ergo &c.

6. Respondet primò Innocentius tertius lib. 4. de myst. missæ cap. 25. ex eoque S. Thomas articulo præfenti, hoc periculum vitari per hoc, quod omnes habeant intentionem consecrandi, non pro eo instanti, pro quo

ipſi formam abſoluunt, ſed pro eo inſtanti, pro quo epiſcopus formam abſoluit, vel vltimus formam abſoluit. Per hanc enim intentionem fit, vt omnes pro eo inſtanti ſimul conſecrent. Paludanus autem in 4. diſt. 13. qu. 4. num. 21. dicit huic conſuetudini addeſſe Spiritum Sanctum, itaut etiamſi aliquis prius formam abſoluerit, tamen effectus ſuſpendatur vſque ad inſtans, quo vel epiſcopus, vel vltimus ſacerdos abſoluat.

7. Contra hanc doctrinam eſt, quia poſita materia, & forma ſufficienti, poteſt effectus quidem impediri ex defectu intentionis, ſed non poteſt ſuſpendi pro ſola intentione miniſtri; ex. gr. baptizans, poſita ſufficienti ablutione, & prolatione verborum, non poteſt per ſuam intentionem ſuſpendere effectum baptiſmi, vt docent omnes: neque in caſu præſenti debemus recurrere ad diſpenſationem Spiritus Sancti, vt recurrit Paludanus.

8. Richardus in 4. diſt. 13. art. 2. qu. 1. docet ſolum epiſcopum proferre verba formaliter, & cum intentione conſecrandi, ceteros proferre illa ſolum materialiter, & recitatiuè, ac ſine intentione conſecrandi, ad repræſentandum, quod Chriſtus cum Apoſtoliſ conſecrauit, ideoque ſolum epiſcopum conſecrare, alios non conſecrare. Alij relati ab eodem Richardo dixerunt ſolum epiſcopum, habere intentionem abſolutam conſecrandi, alios habere intentionem ſolum conditionatam, ſi epiſcopus non habeat intentionem, ac non proferat debitam formam.

9. Reijciuntur: nam ſi alij ſacerdotes deberent proferre verba ſolum materialiter, & recitatiuè, & ſine intentione abſoluta conſecrandi, deberent de hoc moneri; ſed non monentur, neque apud Græcos, neque apud Latinos; ergo &c.

10. Ledesma in 4. 1. parte qu. 22. art. 2. dub. 2. dicit omnes conſecrare, ſed ita, vt effectus ſuſpendatur, quoad omnes protulerint formam. Poteſt nimirum ex intentione proferentium effectus ſuſpendi parua aliqua mora temporis, quia parum pro nihilo reputatur; & hunc modum Sotus fatetur aliquando ſibi placuiſſe, licet deinde ſententiam mutauerit.

Reijcitur: nam poſita ſufficienti materia, & forma, effectus non poteſt vlla mora temporis etiam minima ſuſpendi ex ſola intentione miniſtri.

11. Caietanus in comm. art. 2. qu. 82. dicit ſacerdotes nouiter ordinatos, vt in hac re ſequantur partem tutiorem, neque debere habere intentionem expreſſam conſecrandi, neque expreſſam non conſecrandi, ſed debere habere intentionem proferendi verba modo debito. Poſita enim hac intentione, ſi modoſ debitus eſt, vt proferant ſolum materialiter, non conſecrant.

Sed licet negari nequeat hunc modum intentionis eſſe tutiſſimum, contra eſt primo,

Tom. III.

nam Theologus debet explicare, quis ſit modoſ debitus: ſecundo quia eccleſia deberet monere ſacerdotes nouos, vt haberent hanc intentionem, ne alioquin exponerent ſe periculo proferendi verba ſine effectū. In idem reſcidiſ opinio eorum, qui dicunt ſacerdotes nouos debere habere intentionem conſecrandi ſimul cum epiſcopo, ſi poſſunt, ac proferendi verba ſolum materialiter in caſu, in quo formam abſoluunt ante, vel poſt epiſcopum. Nam deberent de hac intentione habenda moneri.

12. Dicendum igitur cum Soto in 4. diſt. 13. art. 2. quem ſequitur Vaſquez diſp. 219. cap. 4. Sacerdotes nouiter ordinatos debere habere intentionem conſecrandi ſimul cum epiſcopo, & ad hunc finem debere conari, vt ſimul cum illo formam abſoluant, & præſertim ne epiſcopum præueniant, quia videtur indecens, vt præueniant præcipuum celebrantem. Secundò dicendum, quod ſi caſu accidat, vt aliquis, & ipſe epiſcopus non conſecret, non fit contra reuerentiam ſacramenti, quia præualet bonum in ea actione repræſentandi vnitatem myſticam, qua plures ſumus vnum corpus. Addi poteſt tertio, quod pro eo caſu, licet aliquis, & etiam epiſcopus phyſicè non conſecraret, conſecraret moraliter, in quantum conſecrat aliquis, cum quo epiſcopus conſtituit moraliter vnum. Poteſt autem S. Thomas dicens, quod omnes conſecrant, quia habent intentionem conſecrandi pro eodem inſtanti, explicari, vt ſenſus ſit, quod omnes conſecrant moraliter, licet aliqui phyſicè non conſecrent.

QVÆSTIO CLXXXII.

Virum diſpenſatio euchariftia pertineat ſolum ad ſacerdotes?

S. Th. quæſt. 82. art. 3.

1. **R**eſpondet S. Thomas ad ſolum ſacerdotem ſpectare diſpenſationem euchariftiæ, iuxta illud, quod habetur capite peruenit de conſecratione, diſt. 2. *Præbyter per ſemetipſum infirmos communicet.* Probat, afferendo congruentiam ex tribus rationibus. Prima ratio eſt. Chriſtus in vltima cæna, ſicut conſecrauit, ſic euchariftiam Apoſtoliſ diſpenſauit; ergo ſicut ſacerdotes conſecrant in perſona Chriſti, ſic congruum eſt, vt euchariftiam diſpenſent in perſona Chriſti. Secunda ratio eſt: ſacerdos conſtituitur medium inter Deum, & hominem; ergo ſicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ſic pertinet dona à Deo ſanctificata populo tradere. Tertia ratio eſt: ad reuerentiam ſacramenti ſpectat, vt à nulla re tangatur, niſi prius conſecrata, eo pacto, quo calices, corporalia &c. conſecrantur, antequam contingant euchariftiam;

Tt 2

rifiſtiam;